

E P I T O M E.

INter Austriacos Venetosque controversiae obortae, quae statim sedatae sunt. Magna annonae caritate laboratum: frumentum ad eam levandam undique importandum Senatus curavit. Hispaniae Rex Philippus palam foederatis adjunctus, ab Henrico Venetorum, & Pontificis praecipue animum abalienare conatus est. Foederatorum copiis in sancti Andreae vico clade ingenti deletis, Lutetiam Henricus obsidione cinxit. Dum Galliae res componere, nec se Hispanico foedere implicare Xystus pontifex studebat, e vivis sublatus est. Urbanus VII. illi successit, duodecimo ab inito pontificatu die & ipse decessit. Huic Gregorius XIII. successor est datus. Gravis a Turcis metus, post factam cum Persis pacem, civitati injectus est. Hieronymus Lippomanus, cum Byzantio Venetias, III-virum Quaestorum jussu, debeberetur, poenae metu se in mare praecipitem dedit. Componendis Galliae rebus intentus Pontifex, desit vivere; cuius in locum Innocentius VIII. creatus est, haud amplius duorum mensium Pontifex. Rivoaltini pontis ex lapide substructio ad finem perducta est. Post magnas inter Cardinales disceptationes summus pontificatus Clementi VIII. non sine manifesta numinis voluntate delatus est. Ad avertendum turcici belli metum cum Patres delendos Uscobos censuissent, graviter apud Pontificem offendere, Marco Sciarra, extorrum principe, ad Reipublicae stipendia vocato. Egregiam contra Uscobos operam Hermolaus Theupolus praestitit: idem contra Sciarram ejusque asseclas de Arbeni direptione cogitantes impetum fecit. Tota ea extorrum colluvies deleta. In Gallia iterum foederatos Henricus fudit fugavitque. Ad reprimendas Turcarum in Forumjulium excursiones de novae arcis, cui Palmae nomen fieret, substructione consilium est captum. Bis in Pannonia prospere contra Turcas a Christianis pugnatum. Henricus Galliae Rex catholicam religionem amplexus, Pontificis animum, datis ad eum literis, ac Niverensium Duce Romam legato, frustra conatus est delinire.